



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **TAUNGGYIENSIS*** IN MYANMARA

ECCLESIASTICA PROVINCIA TAUNGGYENSIS CONDITUR Ipso optime opitulante Domino pluribus quidem de causis laetari Nos oportet quod catholicum nomen ubique gentium felix capit incrementum et uberiores usque effundit fructus.

Pro viribus autem Nos studemus interea ecclesiastica passim instituta melioribus instruere condicionibus ac solidioribus etiam iuris ipsius structuris. Hodie propterea ad Myanmarenses Ecclesiae communitates animum mentemque convertimus utpote cum earundem occurrere necessitatibus pastoralibus commodisque prorsus spiritalibus concupiscamus. De consilio propterea ipsius Congregationis pro Gentium Evangelizatione, rogatis iis sententiam quorum interfuit, Apostolica Nostra usi potestate quae sequuntur singula statuimus et decernimus. Novam Provinciam ecclesiasticam in Myanmara condimus scilicet *Taunggyiensem*, quam particularem ecclesiam ad gradum archidioecesis metropolitanae attollimus, cui videlicet veluti suffraganeae subiti iubemus dioeceses Tunguensem, Kengtunghensem et Loikavensem. Porro Venerabilem Fratrem Matthiam U Shwe, hactenus episcopum Taunggyiensem ad dignitatem stationemque Archiepiscopi Metropolitanae evehimus, cunctis iuribus concessis officiisque congruentibus impositis secundum iuris communis praecepta. Haec omnia ut expediantur, Venerabilem Fratrem Aloisium Bressan, Archiepiscopum titulo Severianensem atque in Myanmara Delegatum Apostolicum, legamus eique haec munia praestanda committimus. Re tandem feliciter ad exitum perducta, documenta apparentur quorum exempla sincera ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione transmittantur, contrariis rebus minime quibusvis obstantibus. *Datum Romae apud Sanctum Petrum, die decimo septimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo ottavo, Pontificatus Nostri vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Carmelus Nicolosi, *Protonot.*

Apost

*A.A.S., vol. XC (1998), n. 5, pp. 307-308 © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana